Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41388
Copyright: Melk, Benediktinerstift

371

inchoandum est a strenuitate quam viam prebet aliis. Licet autem sic describe. Strenuitas est quidam vigor animi excuciens omnem negligenciam et disponens animum ad faciendum omnia opera divina vigilanter confidenter et eleganter. Hec est que viam prebet ad omne bonum sequendum. Deinde sequitur severitas que est quidam rigor mentis restringens omnem concupiscenciam et abilitans ad amorem aspirantis paupertatis et humilitatis. Tercio sequitur benignitas que est quidam dulcor anime excludens omnem nequiciam et abilitans ipsam ad benivolenciam tolleranciam et internam leticiam. Et hic est terminus purgacionis secundum viam meditacionis. Nam omnis consciencia munda leta est et iocunda. Qui vult ergo purgari vertat se modo predicto ad stimulum consciencie. In predicta tamen excitacione a quolibet premissorum inchoari potest nostra meditacio. Transeundum autem est hinc ab uno in aliud et tandem immorandum quousque tranquillitas et securitas percipiatur ex qua oritur spiritualis iocunditas. Qua adepta promptus est animus ut sursum tendat. Incipit ergo ista a stimulo consciencie et terminatur in effectu spiritualis leticie. Et exercetur in dolore sed consumatur in amore.

Secundo loco post viam purgativam sequitur illuminativa qua exercere se debet homo ad radium intelligencie hoc ordine. Nam radius ille primo est protendendus ad mala dimissa. Secundo dilatandus ad beneficia commissa. Tercio reflectendus ad premia promissa. Protenditur autem radius intelligencie dum cotidie pensantur mala que deus indulsit que tot sunt.